



V
B
J
C

Spis materyi w tej książce znajdujących się



16

30




PIUS PAPA VI.

DILECTE Fili Nobilis Vir Salutem & Appostolicam Benedictionem. Quanto propiora fiunt Comitiorum Vestrorum tempora, tanto Majo Animo Nostro graviorque incumbit Cura, ne quid inde in sacras res novi ac Ecclesiæ juribus adversi emanet. Atque eam ipsam curam soli citudinemque Nostram Tibi deferimus, Dilecte Fili Nobilis Vir, atque ita deferimus, ut neque Studiosius, neque majore cum fiducia facere valeamus. Optime novimus quæ Tuæ in illis Partes esse debeant pro tam splendido quod gesturus es munere; perspectumque etiam habemus, qua sis praeditus Animi probitate, qua Religione, quamque ea omnia, quæ ad horum temporum novitates inducunt, aversaris. Minime proinde dubij sumus; quin quam antea Laudem in Magno Coronæ Tribunali Tua Sapientia animi generositate justitiæque & æquitatis amore retulisti, eandem nunc sis ac multò etiam majorem ab optime asserta DEI Ecclesiæ S. hujus Sedis & Sacrarum legum omnium causa cum eximia Tui Nominis gloria relaturus. Quod majores Vestri diligentissimè semper fecerunt, quodque maximo inclytæ Nationi bono esse existimarunt, ut pristina Sanctissimi Cultus integritas fideique constantia semper vigeret, id etsi agnoscamus Te præcipuè nunc præ oculis habiturum, omnemque navaturum operam optimis Vestræ Reipublicæ institutis retinendis, tamen non possumus non omni Studio à Te contendere pro ea quam in Ecclesia gerimus Apostolica Persona, proque Nostro in Vos Amore atque existimatione, Teque etiam rogare, ut Auctoritatem Tuam quæ certè gravissima in proximis Comitijs erit, in id universum colloces, quod ipsam a Te Catholicam Religionem, quod inclitam istam Rempublicam tali tamque solido fundamento semper inixam pro re proque tempore videris postulare. Jta certè Nostræ de Tua virtute fiduciæ egregiè respondebis. Proinde supervacaneum ducimus, ut Te Tua jam sponte accensum prolixiori hortatione inflammemus. Quod tamen reliquum est, a Te vehementer petimus, ut Venerabilem Fratrem Joannem Andream Archi-Episcopum Chalcedonensem Ordinarium Nostrum & Sanctæ hujus sedis Nuncium Tua ope in agendo niti sustentarique facias, neque quidquam ei præsidij deesse patiaris, quod ad exequenda Mandata voluntatemque Nostram Valere possit. Jd à Te Nobis erit gratissimum, amoremque in Te Nostrum magis magisque confirmabit. Ac DEUM Optimum maximum pro Vestrarum rerum omnium felicitate precantes Apostolicam Benedictionem ejusdem benignitatis auspicem Nobilitati Tuæ peramanter impertimur. Dat: Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris *die* 31. Augusti 1782. Pontificatus Nostri Anno Octavo.

BENEDICTUS Stay



Dilecto Filio Nobili Viro
Comiti Casimiro Krasiński Oboźny
Comitiorum Mareschallo.





ZBIOR
PISM
CZASOW

8.